



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1766**

**VD18 90118251**

§. 28. Veccus revocatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](#)

Omnis quatuor inerant quadrato carceri  
gravibus catenis in suo quisque angulo  
onerati. Sic Imperator Michaël fallebat  
Legatos.

S. 17.

§. XXVIII.  
*Veccus revocatur.*

At studiosius cogitabat revocare Veccum. Episcopi abdicationem ejus non admiserant, quod tamen necessarium fuisset, etiamsi ratam habuisset Imperator: ac Veccus ipse non dixerat indignum se aut inhabilem. Solum causatus erat, se viso quorundam tumultu injusto, abeundum sibi potius a munere suo, quam in eorum offensionem incurrendum duxisse. Hoc autem dictum non tam erat abdicandi ratio, quam reprehensio illorum, qui hanc iniquitatem impedire poterant. Ergo communi ex consensu rogatus est, ut Ecclesiam suam denuo regendam sciperet. Sed renuebat, nisi de calumniatoribus suis vindicaretur: id quod fieri nequibat secundum Imperatoris principia, qui plurium aliorum Principum more accusatum culpa liberando mederi quidem calumniæ, non vero punire calumniatores volebat, metuens, ne veras magni momenti res non cognosceret, nisi tutum esset etiam falsas denunciations sibi facere. Patriarcha, cum æqua

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXII.* E obti-

**Sæcul.XIII.** obtinere haud posset, sibi persuaderi pas-  
**A. C. 1279.** sus, ut accusatoribus veniam daret, &  
 Augusti eodem anno 1279 suum in pala-  
 tium rediit stipante se magnifico comita-  
 tu Cleri ac Senatorum.

Tum excusationis causa composita  
 fuit ad Papam epistola, cui Episcoporum  
 haud existentium, ac Episcopatum, qui  
 nunquam fuere, numerus grandis sub-  
 scriptus est eadem manu. Nescio, in-  
 quid Pachymerus, an id de Patriarchæ  
 consilio sit factum: sed, Imperator exæ-  
 quare volebat numerosas Latinorum sub-  
 subscriptiones, quippe qui plures Episcopo-  
 rum centurias in conciliis numerarent  
 suis. Iisdem in litteris data est opera, ut  
 cumulata Patrum verba, Spiritum San-  
 ctum fluere, dari, monstrari, radiare, splen-  
 dere, ac similia dicentium, ejus proces-  
 sionem obscurarent, & hanc vocem pro-  
 priam removerent. Sic scripta erat  
 Græcorum Episcoporum epistola fallax  
 & blanditiis erga Latinos plena, quos ta-  
 men a multis illorum anathemate feriri  
 satis constabat.

*ap. Rayn.*  
1280.

Etiam Imperator Papæ Nicolao scri-  
 psit de Rosetino Episcopo ejusque tribus  
 sociis receptis. At his in litteris tantum  
 repetit professionem fidei ac juramentum  
 suo nomine in concilio Lugdunensi e-  
 ditum, de novis Legatorum petitionibus  
 nullam mentionem faciens. Androni-  
 cum

cum quoque scribere jussit, qui solum ad Sæcul. XIII.  
patris sui epistolam se retulit, eique ad-  
hæsit. Suam dabat mense Septembri  
indictione octava an. 6788, seu an. 1279  
mense Septembri, unde Græci annum  
cum inductione inchoabant.

A.C. 1279.

§. XXIX.

*Papæ querimoniæ de pugnis equestri-  
bus extra bellum.*

Eodem anno delatum in Franciam Ca-  
rolum Salerni Principem Siciliæ Re-  
gis filium natu majorem, ac patruellem  
suum Rex Philippus audax cum Baroni-  
bus suis magno exceptit honore, &c, quas  
antea prohibuerat, pugnas equestres con-  
cessit in gratiam ejus ac fratri sui Ro-  
berti Comitis Claromontani, quem brevi  
abhinc tempore una cum pluribus aliis  
Equitem inauguraverat. Hæc certami-  
na instaurata minime probans Papa  
Nicolaus ad Cardinalem de S. Cæcilia  
suum in Gallia Legatum ita scripsit: In *Rayn. 1279.*  
dicasti nobis Gallorum Regem Baronum *n. 17.*  
rogatu revocasse nuper edictum ex eorum  
consilio factum, ut equestres pugnæ  
usque ad generalem transitum in Palæ-  
stinam omitterentur; & has pugnas te  
præsente promulgatas fuisse ac execu-  
ti datas contra sacræ Sedis inhibitionem  
sub anathematis poena. Dolemus autem

Duchesne  
t. 5. p. 573.

E 2      magno-